



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 127. Hussitarum motus in Bohemia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

illumque in Angliam denuo vela facere jubet, qui Sandovici appulsus, in terram exposuit milites quingentos, aut ferme sexcentos, cum autem potissima eorum pars ab Henrici exercitu trucidata, ceteri vero capti essent, Perkinus omnibus remis, & velis auffugere, ac in Flandriam reverti compellebatur.

Sæcul. XV.
A.C. 1494.

§. CXXVII.

Hussitarum motus in Bohemia.

Cum Wladislaus, quamvis Bohemiarum Rex salutatus esset, a multis annis in Hungaria hæreret, Hussitæ ejus absentiam in rem suam vertentes, importunius, ac pertinacius sectatoribus suis Episcopum præfici postulabant; ast repulsam passi, tandem solitis motibus, ac clamoribus civitatem commoventes, rem eo perduxerunt, ut de secta sua Antistitem obtinerent quemdam Augustinum nomine, ex numero eorum, qui *Dubrav. lib. 31. versus finem Spond. hoc ann. n. II.* *Bonfin. dec. 5. l. 4.* *titulares* vocantur, eo quod titulum sine dioecesi præferret. Verum haud diuturna fuere hujus felicitatis auspicia; Hussitarum enim causam, agendique rationem, cum Wladislaus Rex Alexandro Papæ significasset, illi in obsequium Ecclesiæ redibant; saltem res omnibus comperta fuit, eos coram Rege professos esse, se ad officium, ritusque Romanæ

R r 4

Eccle-

Sæcul. XV.
A.C. 1494.
Ecclesiæ libenter redituros, si cum iisdem conditionibus, quas olim sub Sigismundo Imperatore obtinuissent, in gratiam Pontificis redire possent. Quid vero hac in re tum a Papa actum, non reperimus.

§. CXXVIII.

Judæorum crudelitas erga adolescentem Christianum.

Bonfin. ver.
Hung. lib. 4.
dec. 5.
Hoc anno Bonfinius finem imposuit suæ de rebus Hungaricis Historiæ, quam hortante Matthia concinnavit, in quatuor decades cum dimidia, quæ quadraginta quinque libros complectuntur, divisam. Ad calcem ultimi libri dirum Judæorum scelus enarrat; nam duodecim hujus gentis viri unacum duabus fœminis adolescentem christianum occulte captum, obstructis repente faucibus, crudeliter strangularunt, apertisque venis sanguinem ejus, dum animam sensim ac singultim efflaret, partim absorbuerunt, partim asservaverunt: tandem vero corpus ejus in partes dissectum membratim in terra defoderunt. Ast suspicione in Judæos mota, omnes hujus sceleris complices comprehendebantur, demumque ex juris formula quæstioni subjicebantur; ubi mulieres, utpote quæ viris magis timidæ erant, crimen falsæ, suos quo-